



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Farina D. Benedictio diuinit[us] missa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Agmen ducat antiquissimus & sanctissimus Benedictus, de quo D. Gregorius ita scribit: *Alio quoque tempore in eadem Campania regione, fames incuberat, magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat. Iamque, in Benedicti monasterio, triticum deerat: Panes vero penè omnes consumti fuerant, ut non plus, quam quingenti, ad refectio- nis horam, fratribus, inueniri potuissent. Cumque, eos venerabilis pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, & rursum promissione subleuare, dicens: Quare de panis inopia vester animus contristatur? Hodie quidem minus est: sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinae modij ante fores cella in saccis inuenta sunt, quos omnipotens Deus, quibus deferentibus, transmississet, nunc usque manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes didicerunt iam de abundantia nec in egestate dubitare. Hæc D. Gregorius, qui infra aliud his verbis subiungit.*

I V.
S. Greg. l. 2.
dial. c. 32.

Eo quoque tempore, quo alimentorum inopia Campaniam graui- ter affligebat, vir Dei diuersis indigentibus monasterij sui cuncta tribue- rat, ut penè nihil in cellarario, nisi parum quid olei, in vitreo vase, rema- neret. Tunc quidam subdiaconus, Agapitus nomine, aduenit, magno- perè postulans, ut sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Do- mini, qui cuncta decreuerat in terra tribuere, ut in cælo omnia reser- uaret, hoc ipsum parum, quod remanserat olei, iussu petenti dari. Mo- nachus verò, qui cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cumque, post paululum, si id, quod iusserat, datum esset, inquireret, respondit monachus, se minimè dedisse: quia si illud ei tri- bueret, omnino nihil fratribus remaneret. Tunc vir Dei alijs præcepit, ut hoc ipsum vas vitreum, in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram proicerent, ne in cella aliquid, per inobedientiam, remane- ret. Factumque est; sub fenestrâ autem eadem ingens præcipitium pa- tebat: saxorum molibus asperum. Proiectum itaque vas vitreum, venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si proiectum minimè fuisset, ita ut neque, frangi, neque, oleum effundi potuisset. Quod vir Dei præcepit leuari, atque, ut erat integrum petenti tribui. Tunc collectis fratribus inobedi- entem Monachum de infidelitate suâ & superbia coram omnibus incre- pauit. Quâ increpatione completâ, sese cum eisdem fratribus in oratio- nem dedit. In eo autem loco, ubi cum fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium coopertum. Cumque, sanctus vir in oratione persisteret, cæ- pit operimentum eiusdem doli oleo excrecente subleuari. Quo com-

V.
Ibid. c. 39.